

De Ornithotoxobolia Vulgò Von dem Vogel-Schiessen

Lipsiae: Bauchius, 1714


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1691828041>


Druck Freier  Zugang





K. p. - 395 (9.)
N. p. - 395 (9.)





Q. F. F. Q. S. *1157*

DE

OPNIΘOTOΞΟΒΟΛΙΑ

Vulgò

Bon dem *1/3*

Vogel-Schiessen,

SUFFRAGANTE

INCLYTO PHILOSOPHORUM SENATU
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. VIII. DECEMBR. MDCCXIV.

H. L. Q. C.

DISSERENT

PRÆSES

M. PAULUS CHRISTIANUS GILBERTUS,

WERDA-MISN.

ET

RESPONDENS

JACOBUS ANTONIUS JACOBI,
SS. THEOL. STUD.

LIPSIAE,

Litteris JOHANNIS GOTTLIEBII BAUCHII.

OPINIO TOEBOVIA

1769

Bonn

Hogel = Schickel

Superagante

In Academia Lipsiensi

D. VII. Decembris MDCCXIV.

H. L. G.

Dissert.

P. R. E. S.

M. P. A. L. L. I. S. C. H. R. I. S. T. I. A. N. U. S. G. I. L. B. E. R. T. U. S.

Wid. M. H. R.

Et

Restodens


Jacobus Antonius Jacobus
S. Theol. Stud.

1769

Jacobus Johannes Gottlieb Barch.



Ogitantibus nobis hinc inde, quidnam imprimis Specimen quoddam Academicum edituri è Cathedra Philosophica publicè ventilaremus, illicò in mentem venit jucunda non minus quàm curiosa de ritu alibi pariter & Lipsiæ ante aliquot menses agitato nempe de *Avis lignæ dejectione* materia. Novimus equidem sacrum illum sermonem M. Teubelii de Certamine isthoc ludicro Curix Varisc. 1648. habitum, hoc ipso anno recusum, atque nonnullis subinde interpolationibus auctum, tantum verò abest, ut hoc à proposito nostro nos absterruerit, ut potius aciores addiderit stimulos in peculiari Dissertatione rem exponendi, & sic dissentientium quoque experiendi opiniones. In tria autem abibit Disputatio nostra Capita, quorum primum circa Originem *ὀρνιθοτοξοβολίας*, & quæ ad illam spectant, versabitur, secundum quòd licita sit demonstrabit, & denique tertium Adjuncta & Circumstantias in medium afferet. Quæ dum parare conamur, ardentissimis Deum invocamus precibus, velit & mentis & corporis excitare vires, quòd scopum nobis præfixum bonis avibus attingere queamus. Tu autem L. B. conatus nostros qualescunque aequi bonique Consule.



C A P. I.

De Origine *ορνιθοροβολίας*,

§. I.



Patermissis illis, quæ aliàs circa Ru-
brum Dissertationis magno nisu so-
lent afferri, cum ex ipsa Tractatione
satis superque pateat, quo sensu vo-
ces acceptas velimus, nempe per
avem confectum ex ligno alitem
expansis alis in aëre constitui soli-
tum, per arcum Instrumentum jacu-
latorium, è quo sagittæ emittuntur, per jaculationem
ipsum hujus ludi exercitium innui, statim ad rem ipsam
accessum facimus, & quomodo ex antiquitatibus possit
deduci, commonstramus, ubi tamen singula seorsim con-
sideranda veniunt, quænam Arcus, quænam Sagittatio-
nis, & quænam Directionis in avem fuerint cunabula,

§. II.

Arcum antiquissimè in usu fuisse ex ipsis S. literis con-
stat, Lamechum enim arcu pugnasse ad occidendum vi-
rum

❁ (5) ❁

rum nomine Cainum inter vepreta latitantem telo præ-
 fera petum nonnulli docent. (a) Alii Thubalkaino adscri-
 bunt, qui, ut & æris & ferri materia inventor extitit, ita
 etiam arcum produxerit. (b) Primus, qui expressè no-
 minatur, arcus cum omnibus eò spectantibus legitur de
 Esavo nutu parentis in jus prodeunte, ipsique escam feri-
 nam parante. (c) Et si primum Sagittarium seu Arcitenen-
 tem nosse velimus, ille est Ismael elogio mactatus רב־הַקֶּשֶׁת
 (d) quam artem deinde plurimis aliis assignari patet.
 Quem etiam fugit, Deos Gentilium Deasque ejusmodi
 denominatione gaudere, qualem in Apolline, Cupidine,
 Diana reperimus. (e) A quo nam autem & qua occasio-
 ne præcipue inventus fuerit, non æque patet. *Plinius* (f)
 Scythen Jovis Filium, alii alios autores produunt. (g) Cum
 autem jam inde à primis mundi annis & post illos à variis
 partim repertus partim emendatus & in meliorem utilio-
 remque formam conversus fuerit, hinc Originem arcus
 ex ipso Codice Sacro accersiri debere credimus, hoc su-
 peraddito, quod non levia ex scriptis veterum dentur ve-
 stigia, quibus colligere licet, in confectioe arcus ad figu-
 ram iridis veteres respexisse, cum & eandem formam re-
 præsentet, & eadem cognominatione gaudeat, cui succes-
 su temporis nervi, columnæ, sagittæ, & alia, quæ ad ejus
 substantiam requiruntur, adjuncta fuerunt. Nec quis
 aberrare videtur arcus flectendi & sagittandi peritiæ ansam
 qualemcunque nos accepisse ab Hystrice asseveraturus.
 Ita enim simul conjectat Claudianus, qui de Hystrice Poë-
 tionem sic claudit:

A 3

Quod

Quòd si omnis nostra paulatim industria vite
 Fluxit ab exemplis, quicquid procul appetit hostem,
 Hinc reor inventum, morem hinc traxisse Cydonas
 Bellandi, Parthosq; retro didicisse ferire
 Prima sagittifera pecudis documenta secutos.

Cum enim harum spinæ ad cubiti sæpe erigantur altitudi-
 nem in obvios corpore concusso evibrandæ non sine noxa,
 ira exinde jaculandi artem excogitandi hominibus oc-
 casio. (b)

- (a) Ad locum Gen. IV. 23. 24. citati à Pfeiffero in Dub. Vex.
 Loc. XVI. p. 48. (b) Gen. IV. 22. (c) Gen. XXVII. 3. ubi
 Moses trium distinctè meminit vocum שֵׁשׁ וְחַלְוֵי וְכִלְיָיִם
 (d) Gen. XXI. 20. (e) vid. Mythologicos passim nec non
 Plinium Hist. Nat. lib. VI. cap. 30. (f) H. N. lib. VII.
 cap. 56. (g) conf. Polydorum Vergilium de Invent. Rer. lib. 2.
 cap. XI. (h) vid. quoque Vossium de Idololatria lib. III.
 cap. 56. nec non Conrad. Gesner. de Quadruped. p. 611.
 Quidam autem sine Hystrices definit Plinius lib. VIII. cap. 35.
 Hystrices generat India & Africa spina contectas ex herina-
 ceorum genere, sed hystrici longiores aculei, & cum intendit
 cutem missiles. Ora urgentium figit canum, & paulo longius
 jaculatur. Hybernis autem se mensibus condit.

§. III.

Progredimur ad Jaculationem, ubi breves nos lineas
 ducere posse existimamus, quandoquidem jam de arcu
 nonnulla præfati sumus. Nullum enim est dubium, quin
 invento arcu & instrumento, quo ad jaculationem opus
 erat, ipsa quoque ars sit exercita, & ita hujus origo æque
 ad originem arcus referenda veniat. Generaliori nomi-

ne

ne olim salutabatur Ars Gymnastica, quæ erat facultas quædam omnium exercitationum facultates contemplans, earumque varietates opere ipso edocens, vel bonæ valetudinis conservandæ, vel optimi corporis habitus acquirendi atque tuendi gratia, uti tradit *Hieronymus Mercurialis* (a) qui alio loco addit, (b) speciem ejus fuisse Jaculationem aut quamvis projectionem in genere sive lapidis sive jaculi sive alterius cujusdam missilis, duæ vero illius præcipuæ constituebantur species, altera *τοξικὴ* i.e. Sagittatio, altera *Ακόντισμα* i.e. Jaculatio, quarum illa fiebat tum solis ammentis, tum arcubus, tum balistis, ista vero non modo sine his efficiebatur, verum etiam grandiores Sagittas crassioresque virgas & plerumque graves requirebat palos, quin imo sagittarii solis brachiis se movebant, Jaculatores autem in jactu brachia contorquebant, extendebantque, & propterea dorsum foemoraque pedibus immotis flectebant. Olim ut exercitium & instrumentum Jaculatio bello gerendo erat destinata, quare illa *Scaligero* (c) definitur exercitamentum laboris militaris, & jaculum proprie est armorum genus, quod una cum amento *Ætoli* Marte geniti inventum *Plinius* (d) facit, qui ritus tamen deinde pulveris pyrii pariter ac bombardarum usu exorto cessavit, interim & apud Turcas asservatur & à nobis quoque adhibetur ad avem ligneam dejiciendam, interdum etiam ad discum eminus tangendum. Hodie nos jacula sive sagittas accipimus pro missilibus jaculatoriis Germanice *Bolsen*, quæ sunt partes lignæ, sesquicubitum fere excedentes, ferro & chalybe figuram coronæ exhibente præfixæ, atque, ut eò rectius ad scopum deveniant, pennis utrinsecus instructæ, quales sagittas pennatas veteres jam habuisse edocet *Prudentius*: (e)

Non

non accola magni
 Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus
 Tempora PENNATIS redimitus nigra SAGITTIS.

(a) Lib. de Art. Gymnast. lib. I. cap. 5. (b) *ibid.* lib. II. cap. 13.
 (c) Poëtic. lib. I. cap. 22. (d) lib. VII. cap. 56. (e) in Hamar-
 tigenia.

§. IV

Nunc propius accedentes in Originem ipsius *τοξοβολίας* inquirimus, ubi neminem inficias iturum arbitramur, hanc esse antiquissimam, multo ante nativitatem Christi invalentem tempore, Homerus enim, descriptis antea varii generis Certaminibus Græcis ad funus Patrocli institutis, tandem Certaminis Sagittariorum mentionem facit, (a) in quo fortissimus Heroum Achilles propositis & præmiis & instrumentis jaculatoriis malum altissimum longè in arena erexit, eidemque Columbam funiculo alligavit, in quam hac lege jaculari iussit, ut, qui ipsam columbam feriiisset, tolleret bipennes, qui tantum funiculum attigerit, ferret secures; Factum autem, ut Teucer Rex Trojanorum primam sortem adeptus ab ave quidem sagitta aberraverit, funiculum tamen, quo ligata erat columba, prorsus diruperit, quæ deinde liberata à fune hinc inde volitabat. Ordine procedebat Meriones, qui deprompto arcu & sagittis, votoque Apollini lato, se inclytam Hecatomben sacrificaturum esse, si prospera uteretur fortuna, columbam hic huc illuc se vertentem sub ala mediam ita percussit, ut penitus telum transiret, avis autem exanimis deciderit. Admirati stupefactique omnes sunt

funt plenis buccis tantam fortunam Merioni gratulati. Quém locum Homeri deinde nitidissimus Poëtarum Latinorum *Virgilius* (b) plenè & planè immutatis saltem nominibus transtulit, uti enim aliàs rotunditatis Homericæ æmulus compluribus audit, ita imprimis hunc locum ex Homero mutuatum & rem translata[m] simpliciter testatur *Servius*. (c) Sed vix ovum ovo, quàm illum, & quem nostra tenet ætas, ritum de ave dejicienda, similius putamus, hoc unico excepto, quòd loco animalis vivi fictitium è ligno alitem suspenderit. Itaque Originem Exercitii hujus solennis exinde ad sequentia & nostra tempora derivari debere rectissime statuitur; Tametsi autem modum, tempus, populos accurate definire haud valeamus, quibus mediantibus ad nos pervenerit, sufficiat tamen commonstrasse, nostram illi plane gemellam habere speciem. Si quid tamen ea de re asserendum est, eò pronunciamus, vel à Trojanis ad Italos, ab Italis ad Romanos, ab his autem ad Germanos transiisse, (d) vel Majores nostros Exercitium illud equestris Delectationis gratia ex veteribus adscivisse, quale quid certe in aliis rebus non infrequenter factum fuit. (e) Quicquid interim sit, hoc tamen nobis demonstrandum sumemus, in contumeliam Spiritus S. nec excoGITatum fuisse, nec moraliter in se aliquid tenere adversi, id quod in sequentibus fusius exponetur.

(a) *Iliad* ψ. in fin. (b) lib. V. *Æneid.* ferè in med. à vers. *Proitinas Æneas celeri certare sagitta Invitat* &c. (c) *Comment. in Virgil.* lib. V. *Æneid.* (d) *Secuti ductum Onuphrii Panvini de Ludis Circensibus lib. I. cap. 2. qui Ludos à Grecis Latinos & Hetruscos, ut multos alios ritus, fuisse mutuatos, atque ab his ad Romanos fluxisse, aliquot etiã usque à Troja excidio Æneam in Italiam attulisse ex veterum Autoribus* prodit.

predir. (e) Sic D. Aug. Varenius Prof. Rostoch. putat in
not. Carm. Gratulatorii ad Respondentem sub Eius Prasidio
de Columba super Capite Christi in Jordano visa in Matth.
III. 16. disputantem, Rostoch. 1671. ex Trojanorum inven-
to morem hunc antiquum transisse ad Batavos aliosque
Germanos, ut fictitios è ligno alites altissimis perticis impo-
sitos sive sclopetis sive sagittis impeterent.

C A P. II.

De Eo, quòd licita sit ὀρνιθοτοξοβολία.

§. I.

Postquam igitur ea fuerunt deducta, quæ ad Originem
hujus ritus spectant, quantum quidem ex antiquitati-
bus derivari à nobis poterat, jam pedem movemus ad
Cap. II. proposita in medium quæstione: *An hic ritus ju-
re in Republica Christiana admitti debeat?* Priusquam nos
ad illam rotunde respondeamus, nonnihil de rebus ludi-
cris in genere prælibabimus. Ludos enim illos, qui certa-
men ingenii, dexteritatis, solertiæ aut roboris continent, in
se naturaliter nihil habere obliqui docet Magnus ille *Puf-
dorffius* (a) cui quo conspirat *Seldenus* (b) Certe frustra
naturæ Autor Deus tantam ad ludendum propensionem
indidisset nonnullorum mortalium animis, nisi secundum
præscriptas honestatis, pietatis, æquitatisque regulas ludi-
cris hisce actionibus etiam possent indulgere. Deus
enim ipse post labores refici animum voluit, ut ad labo-
res novos redderentur homines alacriores. Quid?
quod usum præbeant ejus generis exercitia in Republica
haud contemnendum, cum Cives præparent ad negotia
belli ritè obeunda, hinc *Vellejus* (c) vocat hujusmodi
certamen ludicrum ad excitandas corporis animique vires
effi-

efficacissimum. Hoc tamen, quod modo diximus, præsupponimus, justis legibus & limitibus rem esse sancientiam, ne in varios abusus erumpat, quibus aliàs facilè est obnoxia. Caterum apprime nobis arrident verba *Pancirolli* (d) quæ hic nostra facimus: Illud de Ludis cujuscunque generis in universum tenendum est, eos neque semper admitti, neque omninò prohiberi oportere, sicuti enim ludis prorsus interdicerè duriusculum, & à naturali lege humanitatis alienum fuerit; ita per causam occasionemque permisi lusus fenestram vitis validioribus aperire proclive erit. Nihil profecto naturæ magis jucundum, quàm labori otium, & huic rursus laborem succedere. Hinc legum Conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. (e)

(a) *J.N. & G. lib.V. cap.IX. §.5.* (b) *J.N. & G. lib.VI. cap.XI.*

(c) *Hist. Rom. lib.I. cap.VIII.* (d) *Rer. Memorabil. Part. I. Tit. LX. p. 328.* (e) *de Ludis eorumque moralitate conf. plura in Jean Barbeyrac Traité du Jeu Amstelod. 1709.8. nec non Freieslebi Dissertat. Moral. de Ludis hab. Lips. 1670.*

§. II.

Hiscæ præmissis, quæ erant præmittenda, haud obscure apparebit, quid & de nostro sit statuendum Ludo Jactatorio in avem ligneam directo. Equidem complures sunt, qui prorsus damnant istum, & ad orbem procul ablegatum volunt, inter quos potissimum nominandus est *Christian Franz Paulini*, qui à Gentilibus in ludibrium Spiritus Sancti excogitatum hunc ritum execrandum, adeoque iniquaquam tolerandum esse scribit, (a) à quo non longè abit *Job. Loccenius* Doctissimus Suecus ad minimum morem eum à Diabolo apud Christianos renovatum

inquiens in contumeliam Sp. S. qui sub specie columbæ effusus fuit. (b) Cum his etiam faciunt *Laurembergius* (c) & alii, quos hic recensere nec temporis nec instituti fert ratio. Verum enim verò cum Viros optimos sefellisse videatur hoc præsuppositum, quod in ludibrium Spiritus Sancti ὀρνιθοτοξοβολία vel excogitata vel renovata fuerit, nos è contrario in istam sententiam adduci non possumus. Etenim tam verum est, quam quod verissimum, hoc genus sagittandi esse antiquissimum, mille annos, & quod excurrit, ante Christum natum adeoque manifestationem Spiritus S. sub specie Columbæ in Jordano visæ apud Gentiles in more positum, uti ex omnium, qui extant, Scriptorum Gentilium vetustissimo (d) Homero supra demonstratum ivimus. (e) Nec est, quod excipias concedendo quidem, non fuisse excogitatum à Gentilibus in πνευματομαχίαν, potuisse tamen successu temporis ab istis renovari, atque eà intentione, ut probris afficerent Spiritum S. alitem ligneum peti; Respondemus, dicitur hoc, sed non probatur, conjicitur saltem, aut nullibi legitur, quòd si Gentiles contumeliosis ludis onerare voluissent Deum & SS. Trinitatem, contra Christum potius Crucifixum, cui nomen pariter ac salutem Christiani tanquam hostes eorum debent, & qui illis effato Apostoli (f) mera stultitia est, eos direxissent. Si autem ipsi Christiani in contumeliam Spiritus S. restaurassent, qui tamen nomine Christianorum digni non essent, tunc contra se ipsos pugnassent, tunc se & doctrinam suam ludibrio & contemptui omnium exposuissent, quod vix credibile. Præterea & illud annotare libet, Psittacum magis vel aquilam, aut aliam avem majorem quàm columbam pro more hodierno exæquare fictitium nostrum ex ligno alitem, id quod ex magnitudi-
ne,

ne, latitudine, corona Capiti imposita, & aliis circumstantiis plus quam satis apparet; sed posito, esse columbæ ex asse conformem, tamen ex eo nequaquam licet colligere, Ergo in opprobrium Spiritus S. sub similitudine columbæ spectati adornata fuit, potius respici putamus ad consuetudinem veterum, qua Columba animata in alto suspensa sagittis petebatur. In aerem denique avem elevari convenit, non bovem vel piscem aut aliud quoddam animal. Quo igitur fundamento aut veritatis robore illud asseratur, quod in ludibrium Spiritus S. sit vel excogitata vel restaurata nostra in avem ligneam Jaculatio, nos non videmus. (g)

- (a) *In der Zeit kürzenden erbaulichen Lust Part. II. num. XXIV. p. 203. verba sic sese habent: Der Satan hat die Kinder des Unglaubens zum Schabernack des heiligen Geistes aufgewiegelt, daß sie solch verfluchtes Vogel-Schiessen angestellet haben. Ist ein rechtes Erbstück des Heydenthums, und keines Weges zu dulden.* (b) *in Antiquitat. Sueo-Gothicis lib. I. cap. V. p. 31. 32.* (c) *Acerr. Philolog. Cent. VI. num. 70.* (d) *quo titulo eum tractat Vir de studiosa Juventute optimè meritus Godofredus Ludovici in Historia Univerfali hoc anno recens edita p. 58.* (e) *Cap. I. §. IV. Accedit & hoc ad confirmandam rei veritatem, quòd Dylis Cretensis Homeri σὺν-χρῆστος in idem certaminis Sagittariorum in columbam aliò malo affixam institui mentionem faciat lib. III. de Bello Trojano.* (f) *1. Cor. I. 18.* (g) *conf. hic Hammerum in Roseto Historiarum cap. 37. p. 432. nec non L. Joachimum Fellerum in Disp. de Avibus noctu lucentibus hab. 1669. in Coroll. ii. in Floribus Philosophicis ex Virgilii Aeneid. decerptis cap. 37. p. 390.*

§. III.

Quod itaque in Rebus publicis Christianis ejus generis

ris exercitatio toleranda potius quam ex iisdem eliminanda sit, non tantum ex silentio interdictionis sacrae paginae, sed potius ejusdem quodammodo testimoniis potest esse apertum; & quamvis quidem nostri ritus ibidem nulla fiat mentio, nihilo tamen minus, quoties illorum exempla, qui arcu sagittisque valuerunt, ita, ut ne latum quidem crimen à scopo aberraverint, oculis nostris in Scripturas. obijciuntur, nullibi vitio illis hanc dexteritatem a Spiritu Sancto verti reperimus. Instar omnium sufficiat Exemplum Jonathani, qui haud dubiè per creberrimum jaculandi exercitium eò usque profecit, ut nunquam non præfixum ferierit scopum. (a) Cum itaque hoc nostrum exercitii genus eodem instrumento eandemque magnopere ob causam peragitur, ut hujusmodi dexteritatem nobis acquiramus, sequi omnino arbitramur, quod æque ac in Veteri Testamento Sagittariorum ac funditorum exercitationes sit licitum atque probandum. Præter hæc quoque non videmus, quomodo vel ipsis Christianismi regulis isthæc avis lignæ dejectio sit contraria, si modo intra honestatis ac pietatis terminos permaneat, nec illicita intentione suscipiatur; non enim honori divino exinde quicquam decedit, nec extra abusum illa constituta habet aliquid his nostris temporibus, quod vergere in Summi Numinis contumeliam possit, nullum insuper quoque obicem positum esse credimus, qui vel ulli Christianarum virtutum seu actionum piarum cupido cursum suum impediat. Et si quidem ambabus largiamur, hominem eum in finem non esse creatum, ut rebus futilibus, levibus, & tempus utilioribus potius rebus impendendum surripientibus nequiter indulgeat, fatendum tamen esse rem altius rimanti putamus, vel naturam

no-

nostram ipsam ita esse à Sapiente Creatore ordinatam, ut ad conservationem sui animique recreationem seria ludicris distinguat, siquidem quod caret alterna requie durable non est; relaxatur enim hoc modo languefactus negotiis gravioribus animus, defatigataque ob laborem duriorum corporis vires reficiuntur; Cum vero hæc circa avem deijciendam exercitatio tam animo non levem delectationem, quam corpori salubrem motionem præ multis aliis rebus ludicris afferat, non temere ergo illa est abelenda. Docent quoque, qui rerum gestarum memoriam Scriptis reliquerunt, quod sæpius annotavimus, hunc ritum nostrum esse antiquissimum, ac multis hinc inde in locis inveterato quodam usu receptum, quòd si vero in se ille aliquid haberet incommodi aut iniqui, vel quippiam aliud & Republicæ noxium, & Christiano homine indignum, certe per longam jam annorum seriem nutu Summorum Sapientissimorumque Imperantium, qui unice Rerumpublicarum commodis plus quam Argi oculis invigilant, nec admittunt facile, quod eadem vel minimum impedire queat, non toleratus hactenus, sed diu jamjam fuisset rejectus; Hinc igitur cum hunc ritum à prudentissimis consultissimisque viris, qui regionum ac urbium Christianarum imperio profuerunt olim & adhuc præsent, tolerari videmus, omnino à nobis aliisque in parendi necessitatem natis erit probandus potius quam improbandus. Et si quis vel maxime huic argumento ab autoritate defumto vellet objicere: multitudinem errantium errori non parere patrocinium; Sane credibile non est, unanimiter à tot tantisque Principibus aliisque Magistratibus multo rerum usu subactis permitti facile & juberi hoc exercitium posse, si quid in se haberet incommodi &

& Republicæ perniciosum ; Quod vero hæc nostræ
Ορνιθοτοξοβολία non tantum toleretur, sed etiam a Magis-
 stratu Summo jubeatur, vel inde in aprico est, quoniam
 tot tantisque privilegiis aucta est & donata. Quin imo
 certa & sæpius satis insignia proposita a Principibus sunt
 præmia illis, qui jaculando accurate præ aliis eminere om-
 ni contentione eo laborant. Quæ omnia ut rite recte-
 que procedant, non tantum certa statuta & leges sunt san-
 citæ, verum etiam multis in locis sub auspiciis istius so-
 lennitatis sacri ad populum sermones habentur, ex quo i-
 terum apparet, actionem hanc non esse improbandam, si
 enim hoc periculum sua laboraret turpitudine aut impie-
 tate, adeo, ut inter Christianos audiri non deberet, sane
 impium esset hominibus unda sanctiori adpersis propter
 malam rem suscipiendam in vota hoc modo Deum ipsum
 vocare. Et si vel maxime ritus iste, quod tamen non con-
 cedimus, omni usu in Republica excideret, nihilominus
 tamen, quoniam nihil noxium in eandem infert, nec cum-
 ullius damno ac periculo vitæ conjunctus est, licite omni-
 no est instituendus ac celebrandus.

(a) 2. Sam, I, 22.

§. IV

Hinc tolerandum eum putamus præ aliis ritibus cum
 præsentissimo periculo conjunctis, aut nil nisi ineptias pu-
 eriles exhibentibus, qui in pagis præcipue & locis obscu-
 rioribus a fortis plebejæ hominibus ætatis vel quocunque
 tempore agitantur, uti est *Ascensio in arborem deglabratam*.
 Denudant cortice illi obesæ naris rusticuli perticam altis-
 simam, de cujus cacumine varii generis præmia, vesti-
 menta, vexilla & alia suspenduntur, eandemque oleo pro-
 be illitam & in sublime erectam juvenes imprimis scan-
 dere

dere jubent hac conditione, ut, qui ima arboris fastigia tetigerit, manumque res subnexas apprehenderit, partem aliquam premii loco reportet. Quid quæso aliud exinde emerget, quam ut scansiones ejusmodi flagitiosos præparent, quò habiles fiant ad ascendendum ædes modo furto paxillis vel leviter eminentibus, atque ex eis quicquid libet auferendum; Ut de ancipiti, quo cum arcte cohæret, tum propriæ tum circumstantium vitæ & integritatis membrorum discrimine, ac nullo plane in Rempublicam redundante commodo ac utilitate nihil commemoremus, cum ipsa illud loquatur experientia. Nec melioris commatis ac puncti judicamus spectaculum, quod vulgo dicitur *Ἀλεξισοροπλήξιος* *das Hahnenschlagen*, (a) quo in agris passim suscepto alligatur paxillo gallus vivus, quem velamine oculos obducti tribulo ferire conantur, & cui forte fortuna datur ut percutiat, ille laudem captat & ipsum Gallum. Illudunt quasi homunciones isti Sapientissimo Creatori oculorum usum nobis concedenti, dum præter necessitatem & propter vanam delirandi libidinem sponte sua talparum more cæcutire gestiunt. Ut insuper silentii peplo involvamus abusum animalculi istius difficili modo probandum, dum nimirum Providum Numen non ideo Creaturas talismodi nostræ potestati subjecit, ut ludibrio hujus generis peccaminoso sint expositæ, sed ut necessitati conservandi & sustentandi corporis inserviant. Hæc vero sunt, quæ obiter monuimus, quo vel inde quoque dispalescat, quam longe magis probanda ac toleranda veniat nostra avium lignearum dejectio.

(a) Quæ exercitatio etiam viget in Anglia quanquam dispari institutione, id quod illis ibidem natis & ad nos quoque profectis notissimum est, & constat insuper, si inspicimus les Memoi-

res & Observations faites par un Voyageur en Angleterre à la Haye
1698. ubi hæc extant verba p. 70. La jouxte des Coqs est un des
grands divertissemens d' Angleterre. On bâtit des Amphithea-
tres pour ces Spectacles, & l' on y voit des personnes de qualité.
Il se fait de grandes gageures, mais j' aprens que la filouterie
s' en mêle souvent. *Videri simul potest Bentheims Engellân-
discher Kirch und Schulen. Staat cap. XXV. §. 9. p. 543.*

§. V.

Altioris paulo indaginis censenda est quæstio, Num
Ὀρνιθοτοξοβολία tempore Pentecostes possit exerceri? No-
tum est, quod in pluribus Germaniæ locis ita receptum fe-
ratur, ut ipsa ea hebdomade, qua festum Pentecostes agi-
tur, institui soleat, cumque eo tempore formosissimus
plerumque sit annus, & a labore paululum hominibus fe-
riari concedatur, alia insimul delectamenta superaddun-
tur, qualia sunt das Pfingst-Bier, das Pfingst-Schie-
sen nach der Scheibe & sic porro. Negativam hic tuen-
tur fere omnes, neque suis frustrantur causis, qui hoc per-
negant, cum enim facillime isthoc tempore cultui Divino
simul & probitati morum obicem ponere, atque a nonnul-
lis eò accommodari possit, ac si in dedecus & opprobrium
Spiritus Sancti ederetur, non sine ratione illud obelisco
notant. Quamobrem exempla pœnarum adducuntur,
quibus ex ipsorum mente Deus violationem Sanctissimi
temporis hujus per Iaculationem isthanc factam graviter
vindica-verit, quorum prolixum nectit Catalogum M.
Joh. Samuel Adami. (a) Interim Serenissimi Electores
Saxonix hoc tempore quidem ritum eum non penitus im-
probant, hanc tamen eidem posuerunt metam, ne in ipsis
instituat^r feris, aut non nisi NB. peractis omnibus sacris
inchoetur, nec per illud cultui divino vel minimum fiat impe-

impedimentum. Verba, quæ huc faciunt, allegantur ex *Articulis Generalioribus*, (b) & *Ordinatione Politicæ*. (c) Sed cur, inquires, Ludus iste per Sacrum hoc tempus non plane abrogatur potius, quam ut per illum occasio malorum & scandali præbeatur plebiculæ rudi? Respondet Consultissimus *Wildvogelius*, (d) In festo die Sacris peractis corpori sua quoque debetur recreatio, qua multi carere nequeunt. Quod si igitur ea non sit scurrilis aut scandalosa, facile rusticis aut civibus hæc indulgetur, ne alias ad plane illicita prolabantur homines otium iners sequentes. Ad tales vero honestas recreationes Jaculationes Palæstricas quoque pertinere, dubium non est, cum in vita tam privata quam publica usum habeant haud contemnendum, modo tamen cultus divinus per eas non impediatur, qui cunctis rebus debet esse potior. (e) Attamen nos non dissimulamus, omnino præstare, ut in aliud idque commodius tempus hoc Exercitamentum publicum transferatur, quo Scandalum evitetur, & Objectiones ex tempore inadæquato ad rejectionem ritus simpliciter formari solitæ removeantur. (f) Et hæc de Capite Secundo.

(a) alias *Misander* in *Delic. Bibl. V. T.* 1693. p. 228. sq. vid. *Eund.* in *Delic. N. T.* p. 429. adde *M. Jacob Daniel Ernesti Ecclesiasten Altenburgens. pium & eruditum vov év & yiois in Histo- rischen Bilder Haus* Part. III. p. 783. et *Sam. Fridr. Lauterbach* in *Vita, Fama, & Eatis Valerii Herbergeri* p. 351. *Titii Exempel-Buch* Art. X. p. 326. Eadem etiam potissimum de causa *Johannes Adolphus Dux Holsatiae Edicto publico* imperavit, ut pr. sus à Festo Pentecostes aboleretur & exterminaretur avis lignæ dejectio, vide sis *M. Anton Heinrichs Nordfrie- sische Chronick* (Slesvic. 1666. 12.) Cap. 13. p. 320. (b) *General Articulin Kirchen Artic. XLIV. Wo das Vogel- Schiessen nicht gänglich abgethan werden mag,* soll

Soll es eher nicht, denn Dienstag in Pfingsten nach der Predigt angefangen werden. *it. in Synodalschen General Decret §. 441. d. it. in revidirten Synodal Decret §. 17.*
 (c) In der Policey Ordnung Tit. II. §. 4. his verbis: Ob zwar auch das Schützen und Vogel-Schießen wohl nachgelassen, so soll doch solches entweder an hohen Festen und Sonntagen gar nicht, oder doch nicht eher angestellet werden, es sey denn so wohl vor als Nachmittags der Gottesdienst verrichtet, und daß alle Uppigkeit bey unnachlässiger willkührlicher Bestrafung des Verbrechens dabey vermieden, und darüber gute Ordnung mit Bestätigung jedes Ortes Obrigkeit auffgerichtet werde. *conf. Corpus Juris Ecclesiast. Saxon. p. 104. & p. 476. (d) Disput. de Eo, quod Justum est circa Festum Pentecostes Cap. IV. §. 6, 7. vid. Ejusd. Chronoscopiam Legalem Exercit. IV. p. 208. (e) ad quoque Balduinum de Casibus Conscient. lib. II. cap. 13. cas. 6. ut & Bechmannum in Comment. ad ff. Tit. de Feriis. (f) ita enim Megalander noster Lutherus Declamatiuncula populari de tertio precepto Tom. I. Jen. Lat. f. 133. Hic movetur questio: An VVittebergenses sint excusati, quod die Festo exercent ballistarum artem pro ave dejicienda de hastili erecto, cum id aequè possint alio die facere, cumque non sit hic necessitas, nec pietas, nec modicitas, ac dimidius ille dies festus post prandium possit Deo dari sicut & ante prandium? Simile judicium de armorum ostensione, quasi non & alia die fieri possit aequè bene. Hic Domini Consules vigilare deberent. Caterum hic conferri meretur Nifanii Praefatio Metaeologia Labadiana promissa (Mind. 1673. 8) p. 27. sq.*

C A P. III.

De variis ὀρνιθοτοξοβολίας Adjunctis
& Circumstantiis.

§. I.

REstat in Capite hoc Tertio, ut & Adjuncta & Circumstantias ὀρνιθοτοξοβολίας, absoluta origine ipsius, & demonstrata permissione, paucis adhuc suppeditemus, sub quarum numero comprehendimus Subjectum, Finem, Præmia, Locum, Tempus, Modum, Jaculatores præstantes, Jaculationes solennes, ususque Morales ex hoc ipso Exercitio emergentes.

§ II.

Subjectum quod concernit, movetur quæstio, an etiam foeminas Exercitium illud deceat? In disci telique jactu foeminis apud Lacedæmonios exercitationes omnes concessas fuisse *Plutarchus* manifeste alicubi ostendit *Lycurgi* apophthegmata percensens. (a) Et apud Romanos aliquando foeminas in publicis ludis depugnasse autor existit *Lipsius*, (b) quibus illustrandis exempla *Amazonum*, (c) & quod æquè sexui sequiori liceat privatim ludos cum viris facere, inserviunt. At vero, cum eum in finem spectacula hæc publica non edantur, præterea foeminæ virorum coetibus maxime publicis immiscere se non debeant, (d) adeo, ut si mulier Circensibus aut Theatris aut Amphitheatris ad spectandum olim inter fuerit ignorante aut prohibente viro, divortio locus esset, (e) *Decoris* leges illud vix ac ne vix quidem permittere credimus, utpote quæ foeminas ad res domesticas potius, quam publicas aut jaculatorias adstringunt. Si spectandi causa tamen accedunt, ferente ita consuetudine & usu in hoc Lu-

do recepto, ac consentientibus maritis & parentibus, nihil ex hac re promanare indecori iudicamus. Eadem ratione superius allegata Clerici quippe Sacris dicati ab ipso hujus certaminis exercitio arcentur. Cæterum Magnates atque Summi nominis Principes salva eminentiæ dignitate cæteris se adjungere possunt, id quod sæpe factum sit, fiatque rerum magistra docet experientia. Peregrini etiam in hanc societatem sunt recipiendi, quod jura humanitatis & socialitatis suadent.

(a) ἄλλε δὲ ἐπιζητῶντος διὰ τί σώματα τῶν παρθένων δρόμοις καὶ πάλαις καὶ βολαῖς δίσκων καὶ ἀκοντίων διεπύνησεν Ἔc. Apophth. Lacon. p. 404. (b) Saturnal. Sermon. Cap. IV. p. 88. (c) quippe quæ dextram sibi adusserunt pillam, ut arcus facilius intenderent, & iela vibrarent. Curtius lib. VI. cap. V. Herodotus lib. 4. p. 340. seq. (d) l. marius 21. C. de procurat. (e) l. 8. §. 3. C. de Repudiis. Nov. 22. c. 15. S. l. Novell. 117. c. 8.

§. III.

Res æstimari solent ex *Fine*, hinc de illo quoque pauca erunt adducenda. Certaminum horum finis inter alios erat Religio antiquis opinantibus rem gratam sese Diis eorum exhibitione præstare, vel populi Voluptas, cui maxime & Respublica & Reges atque Imperatores studebant, quo homines hoc pacto demulsi in officio continerentur.

(a) Qui duo fines hodie exulant, quandoquidem alio modo placari Deum, & populum coërceri novimus. Quapropter ad tres præcipue fines nostra Jaculatio in avem ligneam vergere videtur, quorum est 1) *Honestæ recreatio*, utpote cujus beneficio vires per laborum studium fractæ emolliuntur, corporis facultates exercentur, atque animus

in

in his vitæ fluctibus negotiorumque molestiis remissione ac voluptate tanta perfunditur, ut dein meliores acrioresque labori surgant. Verùm ita ut & alibi ludendi modus hic quoque est retinendus, ut ne nimis profundamur, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur, recte monente *Cicerone*. (b) 2) *Salubris Commotio*, hoc enim motus obnixu musculorumque intentione artus magis magisque solidescunt, & sanitas ac bonus corporis habitus efficitur, ad quæ concilianda tantum olim Exercitio Jaculatorio facultatis inerat, ut Galenus infinitos se prope imbecilles ad bonum habitum revocasse, & innumeros item alios, ne in morbos laberentur, sola Gymnastica conservasse gloriatur. Quam ob rem veteres non sine causa *Æsculapium* atque *Apollinem* ambos *Medicinæ* Autores ambos sanitatis Magistros arti jaculandi præferunt. (c) 3) *Belli preparatio*, quippe ad bella peragenda hostesque superandos aptissimum reddit, (d) quamvis enim hodie arcubus & sagittis non amplius pugnemus, nec contra hostem in sublime jaculemur, ob id tamen obeunda est ejusmodi exercitatio, ut agilitas corporis & peritia comparetur, quibus postea, cum opus sit, hostes facillime sibi subjiciantur. Tacemus obsidiones, ubi turres & castella situ pariter ac opera multum edita omnino in altum peti debent.

(a) vid. *Hieron. Mercurial. de Art. Gymnast. lib. I. cap. V.* (b) *Offic. lib. 1.* (c) *conf. Mercurial. l. c. lib. V. cap. X.* (d) ita *Dionysius Halicarnassensis in Arte περι πανηγυρικῶν fol. 34. judicat, ὅτι ὁ τρόπος τῆς ἀγωνίας πρὸς τὴν ἀνδρείαν τὴν ἐν τοῖς πολέμοις, quod genus istud exercitationis ad virtutem bellicam magnopere conducit.*

§. IV.

Finem excipiunt *Premia*. In Ludis Veterum Gymnicis

cis non tam coronæ fuerunt propositæ, quam alia quædam præmia *νικητήρια, ἐπιχειρία, γέρα, ἀθλήματα, ἀθλα καὶ ἑπαθλα* dicta, de quibus videatur *Carolus Paschalius* (a) Nec defunt in nostro Gymnasmate, quæ Sagittariis ponuntur, præmia, ut illorum voluptate allecti, & spe præmiorum inflammati libentius atque accuratius ad acriter certandum disponantur; Atque alia quidem eis, qui partem aliquam dejiciunt, assignantur, ex illorum numero sunt coronæ, pocula, torquites aurei, vexilla, nummi, dantur præmia primaria, *Haupt-Gewinne*, secundaria, *Neben-Gewinne*, postera, *Nach-Gewinne*; alia illum manent, qui ultimam corporis lignei particulam telo detorquet, quem Regem appellant, hic plerumque summam totius, quicquid superest, pretii accipit ornatus insuper privilegio quodam aut gratia specialiori ipsi à Principe Summo concessa. Cumque in constituendis præmiis Sagittarii symbola sua mutuo conferant, disquiritur, an justum sit, ut aliquo pretio certetur, cum æque possit absque addito illo fieri, respondemus affirmando, etenim non spe lucri, sed animi saltem intentionis causa sic luditur. (b)

(a) de Coronis lib. VI. cap. 24. (b) vid. Puffendorff. de J. N. & G. lib. V. cap. IX. §. 5.

§. V.

Locus plerumque extra Civitatis pomœria ædificiorumque colliminium solet consttui, quem enim admodum domibus non procul à se invicem remotis periculo tam hominum, quam ædificiorum favet, nec minus commoditati maxime derogat; ita campus planus, viridis & paulo ab habitationibus dissitus apposite eligitur, qui & in majorem recreationis speciem vergere, & tum Jaculatoribus, tum spectantibus longe habilior esse potest, ad quem fere

fere modum olim Ludi nonnulli in Campis Marathoniiis, aut Sagittatio imprimis in Campis Jaculatoriis instituta fuerit, qua de re consulantur rerum antiquarum Scriptores. (a) Quæ oppida alias aut loca privilegio gaudeant licite instituendi has Jaculationes publicas, ex consuetudine & usu recepto judicandum est, pagis ut plurimum denegatur hoc Exercitium utpote equestri delectationi & viris gravioris dignitatis destinatum; quod si autem Locus quidam, qui tamen antea non usurpavit, imposterum exercere velit hunc ritum ludicrum, Consensus Magistratus Superioris requiritur, publica enim Exercitia non nisi publica debent adornari autoritate & permisso.

(a) *Pindarus Olymp. Od. IX. Siroph. 4. Plinius Hist. Nat. Ulpianus in L. & alii.*

§. III.

Temporis etiam omnino est attendenda ratio, nam Ludus hic editur in lætitiæ & recreationis publicæ signum, ergo in mœrore publico est intermittendus, si tumultus aliquis, si pestis, aut quæ alia perniciēs in Rempublicam ingruat, si nuncius aliquis feralis aut tristis de morte Principis affertur, de fuso exercitu, de novo quod provinciam urgeat bello, si locus incendio penitus absumtus est, & qui sint plures ejusmodi casus turbulenti, ubi ludicra magis abolere quam exercere decet; id quod antiquis etiam in usu fuisse legimus, dum in luctu publico publica etiam suspendebantur exercitia, adeo, ut Gymnasia ipsa ocluderentur & Palæstræ, uti in morte Senecæ evenisse illud testatur *Diogenes Laertius* (a) Veris vel æstatis tempore agitur hic Ludus propter amoenitatem & pleniorē delectationem, quæ hyberno tempore per inclementiam aëris & terram glaciē & nive constrictam non datur. Interim quid de

D

de

de tempore Pentecostali sit, statuendum superius §. peculiari enodavimus.

(a) lib. IV. de Vit. Philosoph. in Socrate fol. 64.

§. VII.

Modus varius est, isque partim instrumenta, quibus avis lignea petitur, partim, quænam circa hoc certamen in ipso actu Jaculationis observanda veniant, respicit. In Dissertatione nostra dejectionem avis lignæ nos ita contemplati sumus, uti arcu & sagittis seu misilibus jaculatoriis solet expediri, in nonnullis autem locis etiam globis & bombarda emisissis absolvitur, ubi ponimus, perinde esse, sive hoc sive illo modo peragatur, præterquam, quod jaculationem cum arcu & sagittis primævo exercitio & huic ipsi Gymnasmati convenientiorem judicemus. Quænam autem ipsum Jaculationis actum deceat, leges eam ob causam promulgatæ, atque a Superioribus approbatæ commonstrant, nimirum, ut non *frivole, fraudulentè, & incaute*, sed *pie, candidè, ac circumspècte* agatur, pietas enim in omnibus suprema lex esto, (a) & in hoc certaminis genere quoque valet illud *Ambrosii*: (b) Qui in stadio currunt, ita feruntur præceptis informari atque instrui, ut unusquisque celeritate, non fraude contendat, cursuque, quantum potest, ad victoriam properet, supplantare autem alterum aut manu deicere non ausit. Huc referendæ & istæ circumstantiæ, quæ actum illum vel antecedunt, vel concomitantur, vel sequuntur, cujusmodi sunt, ut publice intimetur hæc actio, atque ad eandem tum incolæ tum peregrini honestioris conditionis invitentur, ut per sortem ordo disponatur, quo prodire debent, ut particulam aliquam dejicientibus buccinarum ac tympanorum clangore acclametur, & qui propitiante fortuna ultimum Corporis fragmentum trajicit,

trajicit, aut Rex creatur, iisdem congratulantibus & reliquis comitantibus Sagittariis initio circa perticam, cui suffixa erat avis, & deinde domum sparsis in via ad populum nummis ducatur; Sequuntur epulæ, quibus dies lætitiæ huic destinatus consumitur. De his omnibus, ne enucleatius differamus, prohibet angustum, quod Disputationi nostræ superest, spatium.

(a) *Ostendunt illud, ut ad unam tantummodo civitatem provocemus, Statuta des Bogen- und Büchsen-Schießens zu Zerbst ibid. impress. 1592. 4. leg. 3. Es soll auch das Fluchen und Schweren nnd alle Gottes Låsterung vermittlen werden bey Peen der Gesellschaft 3. Gr. ii. l. 4. Welcher den Teuffel nennen wird, soll in die Büchse 6. Pf. geben. Plura non adscribimus. (b) Offic. lib. III. cap. 4.*

§. VIII.

Ad finem autem properantes *Jaculatores* quosdam *præstantes*, qui arcu sagittisque perquam valuerunt, recensere allaboramus. Atque non numerosam eorum cohortem dari lubentes fatemur, e quibus brevitati studentes hunc vel illum impræsens delibamus. *Apollini* imprimis sagittandi peritia adscribitur, hoc enim præcipuum ejus munus, hinc sæpe apud *Homerum* aliosque *Poetas Græcos* audit *ἑκαλήβολος, κλυτότοχος, τοξόφος*, & à *Latinis* Scriptoribus cognominatur *Jaculator, Sagittarius, Sagittipotens, Arcupotens.* (a) De *Scythis* autor est *Horatius*: (b) *Jam Scythæ laxo meditantur arcu Cedere campis, Quibus adeo sagittarum studium fuisse dicitur, ut dextra ac sinistra pariter jaculari, & vice alterna in hostes mittere sublato discrimine callerent, unde & Germanis Jaculatores vocantur die Schieden oder die Schützen;* (c) *Cambyfes* Rex *Perfarum* etiam ebrius *Prexaspis* Ministri filium ita trans-

dit, ut in centro cordis sagitta conspiceretur, cum Prexaspes eum ab ebrietate dehortatus esset, qui insimul factum Cambysis ut laude dignum evehere debuit, & quæ ejus verba sunt: Non mehercle vel Apollo ipse melius collimare potuisset. (d) *Domitianus* ut nobilis Sagittarius laudatur à *Svetonio*, (e) & quidem ita, ut per digitos expansos absque ulla manus jactura sagittas de procul miserit. *Indus quidam celebris* annulos supra capita hominum positos trajiciebat, capillos spiculis sagittarum rumpebat, sagittas sine ferro positas ex adverso gladiatorum lancearumque mucronibus findebat, cujus filium cum *Draco* invasisset, tanta arte direxit sagittam, ut ea currens in serpentis deficeret vulnere, nec in filium transiret. (f) De *Wilhelmo Tellio* Libertatis Helveticæ Autore narrat *Simlerus*: (g) *Tellius* aliquoties pileum Ministri Austriacæ stipiti impositum præteribat nullo reverentiæ & honoris signo exhibito, hanc ob causam à Præfecto accusatus rusticitatem suam excusabat, qui non existimaret, ullius hoc momenti esse, sed Præfectus, qui hominem suspectum habebat, è liberis ejus filiolum unice charum patri deligit, & in vertice hujus pomum sagitta petere illum jubet, erat enim *Tellius* optimus Sagittarius, ni illud dejiciat, capite poenas daturum. *Tellius* hanc rem inauditi exempli omnibus, quibus poterat, modis declinare studebat, ast cum nullus excusationi aut precibus locus esset relictus, arcu sumto pomum è vertice filii exactè dejecit. Plures in medium afferendo super sedemus, cum vel ex his appareat, quam expedite artem hanc calluerint veteres, qua & nominis famam sibi comparare, & commode istam usui suo applicare potuerint.

(a) vid.

(a) vid. Hieron. *Alexandri Tabula Heliaca Explicat.* de quatuor artibus Apollinis in *Grevii Thes. Antiqv. Rom. Tom. V. p. 727.*
 (b) lib. III. *Carm. Od. VIII.* (c) *Alexand. ab Alexandro Dier. Genial. lib. VI. cap. XXII.* (d) *Erasmus Apophib. lib. 6. p. 560. ex Herodot. lib. 3. Thal. p. 235.* (e) *in Ejus vita cap. 19.* (f) *Servius in Eclog. quart. Virgil.* (g) *de Republ. Helv. lib. I. & de aliis, quæ Tellus arcu suo præstitit, conf. Hubneri Quæst. Histor. Part. II. p. 1166.*

§. IX.

Interim Solennia quædam *Exercitia* Ὀρνιθοτοξοβολίας ὡς ἐν παρόδῳ annotamus, inter quæ non illa referimus, quæ singulis annis usu quodam recepto in plerisque locis instituntur, sed quæ vel ob præsentiam summorum Principum, vel ob alias accedentes circumstantias notatu admodum digna evadunt. Horum classi annumeramus Certamen *Jaculatorium Cygneæ à Sagittariis* Anno 1574. editum, cui ipse interfuit Pater Patriæ Augustus, Elector Saxonie, cum Landgraffio *Haslie Wilhelmo*, Marchione *Brandenburgico*, *Georgio Friderico*, aliisque Comitibus, Nobilibus, Civitatibus Amplissimis. (a) *Coburgi A. 1614.* a *Johanne Casimiro* Duce Saxonie in honorem *Christiani II. Electoris* præsentibus multis & Principibus & Civitatibus adornatum. (b) *Dresde A. 1614.* cum *Johanni Georgio I.* pietissimæ memoriæ nasceretur Princeps nomine *Augustus*, (c) & ibid. A. 1660. figura ænea exhibitum, *Curie Variscorum* A. 1648. inchoatum concione solenni a *Teubelio* habita, & supra a nobis citata. Quæ & qualia *Lipsie* instituta fuerint, tum *Heidenreichius* (d) tum *Vogelius* (e) edocent; quibus nos illud, quod novem quidem annos facta *Suecorum* in *Saxoniam* irruptione suspensum, at vero *Regis Nostri* permisso *Clementissimo* superioris ætatis

tempore in pristinum vigorem hic datum fuit, accensere non dubitamus; nec minus hoc ipso anno *Stettini* post varios casus post tot discrimina belli publicæ lætitiæ & refectionis gratia paratum, quod ex Relationibus publicis commemoratum legimus. (f)

(a) vid. *M. Tob. Schmidts Chronicon Cygnense*, it. *Benedictum Edelbeck* vulgò *Sieber* in *Relationibus Rhythmicis de hoc Certamine Cygnensi* *Dresd.* 1575. 8. è quibus summam contraxit & in *Compendio* exhibet *Dn. Heroldus Amicus noster* in *Entwurf der Rechte und Gewohnheiten des Zwickauischen Armbrust-Schießens* *Cygn.* 1713. 4. in *append.* ubi & de pluribus *Cygnæ habitis Jaculationibus solennibus.* (b) delineatum à *Wolffgango Ferbero Magistro Rhythmico Dresdensi* versibus *Rhythmicis A.* 1614. (c) *itidem descriptum rhythmicè à Ferbero Dresd.* 1615. 4. (d) *Chronic. Lipsiens.* (e) in *Annalib. Lipsiens.* nuper admodum publicatis, qui p. 70. ponit *A.* 1498. primam *Lipsiæ* fuisse editam *Exercitationem solennem.* (f) *Leipziger Post-Zeitungen Part. IV. Septim. XXXII. p. 505.*

§. X.

Nec in nuda ὀρεῖδοροζοβολίᾳ contemplatione aut spectatione est acquiescendum, sed potius, uti omnes nostræ actiones, eò tendere debet, quo usus exinde hauriamus *Morales* publicæ æque ac privata vitæ maxime inservientes. Atque quod animæ salutem & incrementum concernit, id quidem affabre egit *Teubelius* sæpe citatus & laudatus (a) singulas apparatus jaculatorii partes excutiendo, & quæ nã menti piæ suggerant meditata, commonstrando. In vita pariter communi ad rem laudabilem perquam & apprime utilem nos ducere potest, quod si enim exercitati jaculatores certum sibi præfigunt scopum, quem unice intendunt, & omnibus probe ponderatis celeriter sagittas emittunt lauream ita reportaturi & præmia apposira.

Pari

Pari modo quilibet in actionibus justis & æquis fixum sibi ob oculos ponit scopum, huc tendant, huc collineent conatus & cogitata ejus omnia, ut, priusquam aliquid inceperit, consilio & re exacte trutinanda, & ubi hoc peractum fuerit, remotis impedimentis mature facto opus sit, sic honesta indole accensus finem consequetur propositum omni honore & felicitate exuberantem. Similiter artium Studiosos habere, quod ex hoc ipso Sagittariorum Gymnasmate in usus suos convertere queant, egregie monstravit *Rappoltus* Poëta & Theologus Lipsiensis; (c) Cum enim mense Junio A.1660. certamen Jaculatorum in agro Lipsiensi ferveret, Rexque illorum jam creandus esset, veritus, ne vacua auditoribus inveniret subsellia, feriatu est per illos dies à lectionibus publicis, & ne nihil illos interea doceret, Programmate publico eoque Elegiaco decerpere utilissima ex ludicro certamine præcepta jussit. Temperare nobis non possumus, quin carmen, prout etiam exhibet *Fellerus*, (c) bona fide huc apponamus:

*Vos quoque certantes, dum nervo aptare sagittam
Cernitis, & crenis indere tela suis,
Hinc aliquid, rebus quod sit quondam utile vestris,
Discite, & in memori condite visa sinu.
Non semper feriet, quicumque minabitur arcus,
Effugietque ictus pulsa frequenter avis.
Tunc aliquis vestrum, sic me spes vana fefellit
Sapius, & fallax, dicat, inersque fuit.
Omnia cum facerem. Vel cum ferit, alter ab arte
Qui minus, Eurytion quam bonus ille, fuit.
Lumine sic placido fortuna tuetur inertes,
Ingeminet, casu sic jurvat esse probum.*

Sive

Sive ingens chorda tensus male rumpitur arcus,

Rumpitur interdum sic quoque nostra chelys.

Estque aliquid nimio mentem non frangere nisi,

Et modica fessum posse quiete frui.

Premia quin etiam stimulum data fortibus addent,

Et data socordis lutulenta, metum.

Dumque putas aliquem fore primo ex ordine Regem

(Sic ludit toties fors vaga) tinctor erit.

(a) in Conc. p. 43. seq. conf. quoque Ernesti Historisches Bil-

der. Aufs. Part. III. p. 785. (b) in Farrag. Miscellan. p. 311. 312.

(c) in Florib. Philosoph. p. 393.

§. XI.

Et sic habes, L.B. quæ de ritu isto Ludicro opera tumul-
tuaria elucubrari nobis licuit. Versamur in Cathedra Philo-
sophica, adeoque nulli dicam movebimus, si vel aliter sta-
tuerit, vel hæc nostra qualia qualia sub censuram vocaverit,
modo animo veritatis & æquitatis amante suscipiatur. Nos
si opere displicemus, saltem studio placeamus, sit accep-
tum nostrum voluisse, si displicet non potuisse. Caterum
votorum nostrorum summa est, ut cujuslibet conatum, la-
borem, certamen & propositum exoptatus tandem coro-
net præmiorum ac præsentis eventus

F I N I S.

P. S.


Ἀμαρτήματα scriptoris, & quæ per incuriam typogra-
phi irreperunt, Lectoris ἐπιεικεία condonabit.


Ἐπίμετρα.

I. Aves neque ex aqua neque ex terra sunt productæ.

II. Avem Paradisiacam absque pedibus & alis dari credi-
ditu difficillimum est.

III. Harpyiæ volucres sunt figmentum Virgilianum &
nascuntur in Utopia.





*Sive ingens chorda tensus male rumpitur
Rumpitur interdum sic quoque nostra
Estque aliquid nimio mentem non fra
Et modica fessum posse quiete frui
Pramia quin etiam stimulum dat a
Et data socordi sus lutulenta,
Dumque putas aliquem fore pri*

*(Sic lusst toties fors vaga)
(a) in Conc. p. 43. seq. conf.
der. Hausf. Part. III. p. 7
(c) in Florib. Philosoph*

*Et sic habes, L.B. O
tuaria elucubrari ne
fophica, adeoque
tuerit, vel hæc n
modo animo
si opere disp
ptum nostr
votorum
borem
net pr*

*Ludicro opera' tumul
amur in Cathedra Philo
ovebimus, si vel aliter sta
alia sub censuram vocaverit,
tatis amante suscipiatur. Nos
m studio placeamus, sit accep
displicet non potuisse. Caterum
ama est, ut cujuslibet conatum, la
opositum exoptatus tandem coro
Cperi eventus*

F I N I S .
P. S.

*scripturas, & quæ per incuriam typogra
unt, Lectoris et ieiuncta condonabit.*

Επιμετρα.

*neque ex aqua neque ex terra sunt producta,
em Paradisiacam absque pedibus & alis dari credi
ditu difficillimum est.
Harpyie volucres sunt figmentum Virgilianum &
nascuntur in Utopia.*

